




MAFFAEI
BOSSI
OPERA
1481
1475
INCUNABULI
C
6
19
Biblioteca Nazionale
Centrale - Firenze









Comment.° de ordi. hu
hier.° de panzerno cum f.

## ORATIO BARTHOLOMEI SCALE PRO IMPE Ratoriis militaribus ſignis Dandis Conſtantio, Sfortie Imperatori

On debebit opinor uideri ab re cuiquam Florentini: ſi titubauerit
n initio dicendi animus; et tamen orandi fortunam confidentius
ſubierim: Que ueſtra benignitas eſt: Que eſt ueſtra ſapientia.
Quarum quidem altera facit: ut minus ueniam ad dicendum trepidus
Solitam. n. mihi in me facilitatem ueſtram: clementiãque quandã ad
mirabilem ac prope diuinam: qua uti in omnes conſueſtis: facile pol
licetur benignitas. Sapientia uero dehortatur propemodum ac deter
ret. Quis enim tam firmo: tam conſtanti eſſe animo poteſt: qui
non commoueatur: Cum apud doctiſſimos uiros: rerũ uſu doctrina/
auctoritateque adeo preſtantes / tanta de re ſe eſſe uerba facturum intel
ligat? Nam quid eſt tandem: quod maius in ſe habere pondus poſſit
quã que de imperatore et duce militie: deque eius deligendi uariis ra
tionibus habetur oratio? Fateor cum in me unum ora oculoſque omni
um ueſtrum conuerſa eſſe uideo: ut ipſe multo indoctior incultiorque
audiendus ſim: Qui uero et bonarum artium ſtudiis; et dicẽdi atque
eloquendi copia magis excellent: qui per multi adſtant: quorum ego
auctoritatem in otio in negotio / in publicis quoque et priuatis conſili
is obſeruare plane atque admirari ſoleo: ad me hodie audiendũ conue
nerint: Atque ex hoc ampliſſimo loco: Vnde nihil unquã niſi expoli
tum / graue / ſanctum proficiſci conſueuerit: non poſſum non deſide
rare aliam ſortem: et liberiorem aliquam uite mee mihi depoſcere cõ
ditionẽ. Non enim is ſum: cui reluctari imperio conueniat: cuique
liceat quicquã magiſtratus dicto non eſſe ſtatim audientem. Vt intelli
gat: ſi forte quiſquam in hoc celeberrimo atque ornatiſſimo auditorum
cetu inuentus fuerit: qui ſeu liuore inuidie honoris huius: ſeu maledi
cẽdi ſtudio aliter putauerit: non ultro ſuſcepiſſe me id muneris: Sed
demandatam mihi a magiſtratu prouinciam laborioſam licet admodum
periculoſamque iuſſum recepiſſe. Sed uos certe ſcio ut ſoletis: omni
bus de rebus rectiſſime iudicabitis. Ipſe rem aggrediar: Atque eo qui
dem ordine: ut de deliberandi prius rationibus aliqua a me breuiſſime
dicantur: quam ad reliquas orationis noſtre partes deſcendamus.
Conditio grauis eſt profecto et plena diſcriminis totius Italie Florenti
ni: que fato quodam ſuo ut mihi uideri ſolet: quieta eſſe unquam non
didicerit. Si deſit foris Barbarus externus hoſtis: querunt domi.
Ac fuit quondam tempus: cum in Affrica/ in Hiſpania/ in Gallia / in
Grecia in Aſia ad Thaurum etiam et Caucaſum arma noſtra conſpice

rentur. Nunc forte mala Italie: Quod sine lachrimis uix possum com memorare: nimis heu in contrarium res uertit fortunā: Atque aut nos inter nos quis potissimū imperet obstinatissime decernimus: Aut quod multo est miserabilius experiri uires in solo patrio in italici celi amenitate contra externos impetus iniuriasque compellimur. Debue rant uero satis superque preterita nos transacta mala monuisse. Nam cum uenit Gothorum in mentem: atque Attile qui Blede primum do mi interfecto fratre in hunnis regnauit solus: ac post Gothos afflixit miserandis cladibus italiam. Cum uenit Vandalorum: et Genserice crudelitatis: Tum Toralingorum Herulorumque temporis: et Odo acris rapine: Cum Theodorici turpissime proditionis: qua rursus Go this uastandam diripiendamque tradidit hanc terram: Et Athalarici / Alarici / Theodasi / Vutigis / Aldebabi / Erarici / Totile tandem: quem etiam ob ingenitam scuitiam atque īmanitatem flagellum dei uocitauerunt recordor. Ac demum supra ducentos annos Longobar dorum impotentissimi dominatus. Cum inquam subit memoria tē pestatis illius / illiusque miserabilis deflendeque ruine: ac tot annorū tot temporum calamitates: quibus hec patria uictrix quondam omni um gentium barbarorum oppressa furore uastata. diruta. subuersaque funditus contabuit: mirari satis non possum Vnde sint tot tanteque et tam crebre animorum mutationes: ac tanto cum rerum omnium periculo tanta rerum omnium inconstantia et leuitas. Que quidem res facile patres admonuerunt: Vt non diutius imparati sine ductan di / sine ordine aliquo militandi remque defendendi publicam publi cumque otium et tranquillitatem conseruandi degeretis. Itaque ad Constantium Pisaurensem principem ex sfortiadarum clarissima fami lia: de quo paulo post dicemus: intenderunt animos: Et ducem mi litandi uestrum constituerunt. De necessitate igitur habendi impera toris primum. De imperatore ipso deinde. Postremo de utilitate deliberationis huius: deque imperatoriis insignibus erit dicendum.

Et necessitas quidem Eadem que a principio palatos ex agris homi nes coegit in unum locum: Ciuitatesque constituit: Arma quoque ad externam propulsandā: atque arcendam uim excogitauit. Quid effecissent tandem illi quidem Si congregati leges tantum / quibus inter se commode uiuerent / sanxissent: Atque eas custodirent: qui que ubi opus foret: otii turbatoribus obsisterent: remque eorum pu blicam uiribus atque armis tuerentur: Neglexerint? Quod ut ratio ne manifestum est: Ita eorum quoque qui de rebus publicis precepta tradiderunt: doctissimo testimonio comprobatur. Tria enim genera

Quibus constarent urbes posuit Hippodamus apud Aristotelem : Eorum unum qui agros colerent : ad alimenta subministranda ciuibus . Alterum opificum ad uarias uite humane comoditates . Tertium eorum qui arma ferrent contra iniurias : et belli propulsatores . qui hoc continerentur genere appellauit . Quos quidem Plato qui et ipse preclaros illos de re p. conscripsit libros : uocat custodes : Quod idem ualet. Aristoteles autem sex indigere rebus ciuitates : ut absolute essent ac perfecte censuit . Alimentis . opificibus . armis . pecuniis . sacris . iudiciis . Quo etiam in genere Senatores et patres collocauit . Partes autem ciuitatis constituit duas / senatorum et militum . Ceteram turbam et si necessariam ut omni ex parte sit absoluta ciuitas : tamen a ciuium ea numero segregauit : Quod et uero simile uidetur . Attentius enim de re p. cogitanti / illa in primis occurrit diuisio : ut sint qui domi : sint qui foris publice utilitati ac dignitati consulant . Qui id domi et consultando et deliberando faciunt : patres . Qui foris bellando et tractando arma : milites merito antiqua appellatione uocabūtur

Ceteram uero multitudinem ut edificia ut agri ad sufficientiam esse necessariam ciuitatis duntaxat : ciuium uero dignatione minime contineri . Sed nunquid opus erit in re p. armis : Imperatore uero et duce qui ea administret / cuiusque ductu atque auspiciis bella gerantur : non indigebunt arma ? Imo uero siqua in rebus humanis ars est : si quod studium : si quod ministerium : Si qua res tandem ex omnibus que principe : et gubernatore egeat : Ea profecto disciplina militaris est . Neque inueniri potest in quo maiori cum periculo omnium rerum aberrari queat . Verum nauigatoria tandem gubernatore / Domestica patre familias / Armentoria pastore / Gymnastica magistro regetur : Rex autem et disciplina militaris qua omnes totius ciuitatis fortune continentur : sine rectore erit ? Presertim si grues in uolatu principem : Si apes sibi regem cui paueant : quem sequantur constituunt : Atque imaginem ut mihi quidem uidentur et similitudinem nobis prebent quandam rei publice gubernande . Atque his quidem iam que diximus : satis est ut arbitror patefactum : Partem esse aliquam ciuitatis et ciuium : Alteram militarē : Neque milites sine certo preceptore ac principe recte constare : ut non modo iam arma in rebus temperandis publicis necessaria sint : Verum sine eo quoque qui ea tractet : presitque : atque imperet his qui induerint in utilia fuisse atque esse quam plurimum : et multa et magna persepe attulisse

detrimenta ciuitatibus . Exemplorum autem sunt plena omnia . Verum fas esse haud quaquam putauerim : quicquam hodie a me nisi letum iocundumque proferri . Itaque de imperatore his pretermissis : de quo mihi secundo dicere loco proposueram iam exordiar . Quiquidem locus et si suapte solet natura cum decore etiam splendorem afferre orationi atque ubertatem : Tamen eius ipsius de quo res est conspectus admonet modestie excellenti quadam sua singularique modestia . Multa tamen esse arbitror : que in eo qui sit bello administrando prefuturus : requirantur . Que. M. Tullius in oratione quam pro. GN. Pompeio de deligendo imperatore habuit : quattuor in capita eleganter distribuit : In scientiam scilicet rei militaris in uirtutem auctoritatem felicitatem . Onoxander autem qui ad Varanum de perfecto imperatore grece scripsit : et felicitatem preteriit : et quedam addidit : que cum necessaria sunt ut idoneus esse imperator quis possit : tum expetibilia ut omnium sit rerum : que ad eum quoquo modo pertinere possint quacunque ex parte omnibus ut aiunt numeris quam cumulatissimus . Inter ea que adesse oportet : dicendi quoque facultatem uir ille doctissimus connumerare uisus est . Et recte quidem mea sententia . Quo enim pacto consilia explicabit sua ? Quomodo adhortabitur / inflamabit in pericula in mortem aget milites : quod fieri quandoque necesse est : qui elinguis / qui rudis / qui ineptus erit ? Magna uis est mihi credite compteque atque erudite orationis . Solent cum est cum hostibus cogrediendum pro consuetudine sua quique musicis uariis concentibus et clamoribus excitare animos eorum qui inituri sunt prelium : atque incendere uirtutem . Sed profecto Nulle uoces / Nulli cantus / tantam habere in sese uim ad stimulos ardoremque animis iniciendum possunt : quantum docti imperatoris eloquentisque concinna accomodataque oratio . Que si mouere lapides : quod de Amphione ad thebas poete tradiderunt . Si ut de Orpheo siluasque : et feras demulcere potest : Multo quod habeat uim maiorem in nostris mentibus est uero maxime consentaneum . Felicitatem autem ideo preteritam arbitror silentio : quod eam prestare humana conditio nulla potest : si de ea intelligamus felicitate : que a fortuna dependet : non que a uirtutibus . Quanuis de fortuna quoque alii senserunt aliter . Sunt enim qui illi omnia tribuant : Sunt qui nihil . Qui habere uires in rebus nostris putant : in deorum quicquid ea tamdem sit : referunt potestatem . At qui negant :

rerum omnium humanarum reginam faciunt prudentiam: aufe runt fortunam: quia uti sapiens nescio quis poeta ait apud Marcum Tullium Suis quisque fungitur moribus. Nos siquis opinionem in ea re nostram quoque scire desiderat. Neque concedenda fortu ne omnia: Neque tollendam penitus eam esse erebus humanis ar bitramur. Est enim certa quatenus progrediatur prudentia. Et multa sepe acidunt: que nullo humano ingenio prouideri. nul la industria. nulla uirtute superari queant. Vt siquis ultra pru dentiã humane fines fortune locum esse dixerit: minus ab uero longe forsitan aberrauerit. Quedam igitur esse uidentur: sine quibus esse imperator nullo modo: Quedam uero sine quibus es se omnino perfectus consumatusque non potest. Nisi enim callu erit militandi artem: eiusque scientiam animo et cogitatione com prehenderit: Nisi sit his preditus uirtutibus Consilio scilicet / Fortitudine / Continentia / Fide / Grauitate / Facilitate/ Mode stia: atque huiusmodi quibus in militari exercitum obseruantia contineat. Nisi tantum insit auctoritatis: ut habeat imperio ob sequentes suos: Nisi tandem explicare comode dicendo que in rem sint uisa possit: Et dare animos uirtutemque in prelium in mortemque euntibus: Ab fortuna, potius ab fortuna: aut ab ho stium ignauia: quam ab imperatore et milite speranda uictoria est. Ac quemadmodum quidem sunt que supra dixi in impera tore necessaria: Ita principatus generis nobilitas / integra etas: et huiusmodi non nulla que curiosissime persequitur Onoxander: Etsi non sunt necessaria illa quidem: Adornare tamen uehemen ter si adsint debent: Atque illustrare imperatoriam dignitatem. Quem quidem ego cum legi de perfecto imperatore accuratissime disputantem: habuisse mihi uidetur pre oculis CONSTANTI VM hunc nostrum SFORTIAM: eiusque ipsius eximias singu laresque animi dotes: excellentemque uirtutem pernouisse: Vn de precepta exprexerit: que de perfecto belli administratore: et duce litteris ac posteritati commendauerit. Nihil enim ille ex cogitare precipiendo potuit: quod in nouo milite nostro duce: non facile inuenias: Quodque re ipsa et factis non possit presta re. Iam enim scientia rei militaris / ut aliquando tandem de ipso breuiter aliqua modesteque attingamus: ut sit quam excellentissi ma oportet. Natus est enim ut ita dixerim armis. In armis enutritus atque altus est. Armorum omni etate perpetuum ue hementissimumque studium fuit. Nihil postremo in omni uita

tantopere : quanto tractare arma : et gerere : atque administrare bella procurauit. Militauit admodum puer sub Alexandro primũ patre ingentis animi duce in Apulia in clarissimo illo durissimo que bello : quod cum Ferdinando Neapolitanorum gloriosissimo rege ab Andegauensibus Gallis : et Iacobo piccinino nobilissimo belli magistro gestum est. Prefuit deinde aliquot turmis in Flaminia : Et in Ricardinis campis in illa memorabili pugna maxime eius uirtus enituit. Preclara quoque stipendia fecit quod omnes nouistis cum PAVLO secundo pontifice Romano : Aliis que pontificibus pontificius uicarius : et celebre inde nomen : Atque insignem et immortalem gloriam reportauit. Paulo demum ante gubernator nostris prefectus copiis : non ne ita fatalem illam ad Imperialem montem accepit cladem : quod inuitus recordor : Vt docuerit etiam uinci non sine dedecore modo : Sed summa etiam cum commendatione et laude posse. Omnia enim quecunque contigerunt : preuiderat : premonuerat : multo ante rem predixerat : preclamauerat. In re autem. Quando quidem inquit Ita fata adigunt : Certum faciamus fortunam defuisse CONSTANTIO non uirtutem. Militum fidem atque animos gubernatori. Non gubernatorem militibus. Ita citato equo armatus ad signa : et ubi laborabatur magis eo prouolans Intrepidus afferebat opem. Sed deseritur dicto celerius a suis Et totis ubique castris effusissima fuga trepidatur. Itaque equo etiam quo fortissime pugnabat amisso : non quidem fugatus : Sed plane desertus a suis omnium postremus discessit ex acie. Atque ita discessit : Vt aliquem etiam ducem ex hostium primis ducibus captiuum adduxerit. Militaria certe signa ne in potestatem uenirent hostium egregie pugnando effecit. Auctoritati uero quam ipse sibi his quas supradixi artibus comparauit maximam principatus quoque accedit. Qui et ipse per se si recte / Si prudenter / Si continenter / Si grauiter / Si modeste ut facit geratur : plurimum afferre dignitatis atque auctoritatis solet :

Iam uero omni uirtutum genere ita clarus est : ut orationis nostre : aut cuiusquam testimonio non indigeat. In quo quidem non modo excelleat consilium et prudentia singularis : Verum etiam admirabilis quedam in raciocinando et uero inueniendo celeritas. In agendo autem et conficiendo industria ac diligentia prope incredibilis. Nam de fide / Continentia / Facilitate : atque humanitate : que solent uirtutem in principe elucere pluri

mum : Vt multa iam dicantur : haud est necesse : Earum enim sunt locupletissimi testes non ueterani modo paterni milites qui buscum ab ineunte etate puer primum / adultior deinde / grandi or tandem ita uersatus est : Vt in quaque etate bene uiuendi cete ris exemplo esse posse facile uideatur : Sed populi quoque qui ab eo reguntur multi documento esse manifestissimo possunt : a quibus quidem non arguitur dominus : Sed amatur . Non ti metur : Sed colitur : Vt addita eloquendi excellentia et litteris idest bonarum omnium artium : qua plurimum pollet : discipli na : Nihil iam deesse omnino possit earum rerum quattuor : quas in imperatore quocunque esse oportere supradiximus .

Nam quid de etate si ea quoque quicquam facit ad rem ? Cuius in flore esse uidetis . Quid de corporis . Quid de fortune commo dis plura dixerim : que cuncta uos in eo excellere clarissime cogno scitis . Genus autem est cuiusmodi : ut admirari potius : et colere iam cogantur homines eius gloriam ? Quam quod ad nobilitatem Sfortiadarum familie : atque amplitudinem aliquo modo pertineat : quicquam desiderari queat . CONSTAN TIO enim Sfortie : Dux ille SFORTIA inuictissimus Mars ut aiunt alter : Et in quem iam referre Vt quondam in Iouem : aut aliquem deorum originem gloriosum est . Paternus auus fuit : ut attendolorum antiquissimam et nobilissimam gentem non re petamus altius Aut dacarum reges . Patruus FRANCISCVS Sfortia qui primus eius familie Mediolanensibus magna cum glo ria imperauit : Sue etatis singulare decus : Et de quo multa est facius tacere mea sententia : quam non dicere ad dignitatem .

FRANCISCO uero fratres fuerunt. Leon . Bossius . Iohānes con radus prestantissimi fortissimique duces ut peculiari prope iam et hereditaria nimirum militaris prerogatiua ad hunc esse nostrum deferenda merito uideatur . Quod si maiorum imagines animū uehementissime possunt accendere ad uirtutem : Vt Crispus Sa lustius . Q . Maximum : Et . P . Scipionem : et ciuitatis pre terea Romane preclaros uiros Solitos dicere audiuisse ait : cum earum ceras intuerentur : Quid de Sfortiadarum his imagini bus coniectandum erit ? Crescet profecto crescet Flama in pec tore immortalitatis : cum rerum ab illis gestarum memoria subi bit animum : Vt sperandum iam sit his studiis : atque artibus ista uirtute Atque exemplis : Non suorum modo eum esse no men laudemque assecuturum : Sed ad priscam quoque illam ho

noris magnitudinem uirtutisque admirationem propius tandem esse accessurum. Quod proculdubio sine comodis magnis uestris iam contingere haud quiquam potest. De quibus tandem ut polliciti principio fuimus iam dicemus. Duplex autem uidetur ex hac deliberatione uestra esse ad rem publicam uestram prouentura utilitas: Ut militie: ut domi fructus ex ea amplissimos bellorumque et pacis pulcherrime percipiatis. Iam enim militaris illa Sforciana auita disciplina seueriore aliquo omnium prope consensu censore et correctore eget. Multo enim conspicitur maior intra castra rerum omnium licentia: quam bene institute militie conueniat. A qua quidem si diis placet iam nos habemus pro seueritate antiqua castrorum incontinentiam. Pro parcitate luxutiam. Pro abstinentia earum rerum que militum sunt commissa fidei Rapinas edificiorumque incendia et direptiones Vastationesque agrorum nostrorum atque socialium: Quibus quidem nihil est fere quod crudelius ab hostibus: aut miserandius pertimescendum ueniat. Mores sunt iam restituendi CONSTANTI SFORTIA prisce Sfortiane militie. Ac precepta illius disciplinae auctore iam te ac duce renouanda. Quod uos sperare debetis profecto Florentini Si uerum id est: quod uulgo ferunt Et philosophi comprobant et Plato. Tales et ipsos esse oportere qui reguntur: Ut eorum sunt principes. Iam uero altera huius loci pars euidentissima est. Diuiditur omnis uita Aristotele teste in Otium et Negotium: Bellumque et Pacem. Et Negotium quidem suscipimus propter otium: Bellum gerimus propter pacem: Ut inutili quoque quod propter honestum est euenire consueuit. Quid igitur decreuistis Florentini in pace? Nempe quod ad tranquillitatem defendendam et pacem potissimum pertinet. Nam qui ita instructos / ita armatos intelligent efficientur proculdubio ad lacessendum Vimque inferendam atque iniuriam Tardiores. Illatam uero multo poteritis propulsare facilius: Et restituere aliena non uestra culpa: Si id quandoque acciderit uiolatum otium et quietudinem constituere et pacem ciuitatis. Siquidem cum fortis armatus custodit atrium suum: in pace sunt cuncta que possidet: ut in sacrosancta euangelica doctrina scriptum est. Ut hoc necessario decreto uestro: quo hunc CONSTANUIUM Sfortiam Florentine militie administratorem constituistis et ducem: Non sapienter modo rei uestre pu

blice dignitati et libertati : que uita quoque ipsa cariora esse bo nis uiris debent : Sed summa etiam cum utilitate consulueritis

Quid profecto populus omnis florentinus ingenti cum spe con seruande perpetue tranquillitatis auidissime accipiat : Et qui a uobis gubernantur : quos semper eedem que uos fortune ma nent : quanta esse letitia hoc nuntium excepturos putatis ? So cii quoque et foederati uestri : quorum etiam hic legatos seden tes laudantesque uidetis : pro eorum ipsorum summa humani tate et sapientia non probabunt modo : Sed in commune etiam additum ad dignitatem atque potentiam iudicabunt : et societati ac foederi nostro iure optimo gratulabuntur . Quod igitur faustum est et felix et fortunatum sit / Capies iam dux Floren tine militie militaria insignia Florentini populi . Accede huc iam Vexillarie . Tu uero dux cape iam cum bellatore equo : et picturatis liliatis faleris : Atque argentea galea liliata quadra tum liliatum uexillum . Trade autem Vexillifer iustitie ATTI LI MEDICES quadratum liliatum Vexillum bellorum insigne Florentini populi e tua augustissima manu inducis manum ac de more sancte deobsculator . Hoc hoc illud insigne est inuicta uirtute dux , quod feras in hostem . Quod sequantur milites tui . Quo conserues quietem ciuitatis : et tueare dignitatem . Hoc illud est : quo tot clarissimi et gloriosissimi militie nostre du ces Tot nobis uictorias / Tot Trophea / Tot triumphos pepere re : et constituta ac stabilita libertate nostra dedecorauerunt Flo rentinum nomen . Cape uero Dux iam et militare sceptrum

Ades uero iam et tu sceptiger propius . Trade autem uellifer iustitie e tua item manu in manum ducis ex rudi inculto atque infabricato trunco more maiorum militare sceptrum . Quod fa cile seueritatis antique militie castitatisque admoneat . Cuius modi et FRANCISCVS SFORTIA patruus tuus gloria seculi huius : et alii fortissimi et felicissimi imperatoris nostri usi sunt. Quale quoque gestasse quondam Herculem Ioue natum credide rim : Et Bacchum : et Theseum : Et eorum quemlibet quos ob uirtutis admirationem inter heroas greci collocauerunt : Eiusmo di usum Sceptro putauerim : Et Romulum : Et Pompilium : et Romanos omnes Reges Consules Item et Dictatores : et consu lari potestate tribunos militares : et quot quot quocumque nomi ne militie Romane prefuerunt : Donec sancta ea quidem atque

incorrupta et inuiolata stetit: Ad ea usque tempora quibus ex
·CH· Asia. GN. Manlius Volso omni genere licentie corruptum in
Italiam exercitum Romanum reportauit. His tu ergo militari
bus imperatoriis insignibus Florentini populi que rite sic accepe
ris CONSTANTI SFORTIA Dux noster Volente deo no
stro optimo maximo Deo nostro uirtutum Deo uictoriarum bo
norumque omnium mortalium Celicolisque omnibus cum immor
talitate nominis tui Florentinam gentem: et belli quibusucnque
ornamentis et pacis: quam cumulate: quam gloriose auctam de
coratamque efficies.

ANNO. D. M. CCCC. LXXXI. DIE. IIII. OTTOBRIS.

